

www.e-rara.ch

Explanatio epistolae apostoli Pauli ad Philemonem ...

Humel, Johann Henrich

Tiguri, 1670

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-16373>

Sermo CXXIV.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Recip.

unde ergo tot confusiones in mundo? impii fortunâ secundâ gaudent, pii premuntur adversâ. Resp. Quod pii in his terris affligantur & premantur, satis ex SS. patet, semen enim serpentis contrarium est semini mulieris, Gen. 3: Pſal. 34. Act. 14: 2 Tim. 3: 12. Joh. 16: ult. & hoc fit, ne cum mundo condemnentur, 1. Cor. 11: 32. Pſal. 119: 71. Quod impiis bene est, cedit ad majorem ipsorum condemnationem, ut sint inexcusabiles, Mal. 2: 2. At sciendum, licet confusiones sint in mundo, tales tamen non Deo, sed hominibus tribuendas esse, in maximis enim confusionibus hujus mundi ordo Dei perspicitur; hinc Solomon Eccl. 3: 11. Res ipsæ, quæ oculis nostris videntur inter se contrariæ, ubi confusa videntur omnia instar rotarum in horologio, si tamen bene considerentur, Deus ordinis præsens perspicitur; Deus sæpe talia mittit in justam pœnam & nuncium iræ suæ, & probationem fidei suorum, patientiæ ac obedientiæ confirmationem, nec non ad impiorum ingratitude atque impietatis punitionem. Si pace & secundis omnibus fruimur, tum simus securi, securitas autem parit oblivionem Dei, abusum donorum & omnis generis delicta ac luxuriam. Cum igitur Deus mittit gladium, famem, pestem, & hujusmodi; nonne sunt justa à Deo missa iudicia? Si cernimus, homines rem facere ex oppressionibus, & bona terrena cumulare per avaritiam, injustas actiones & fraudes, ac immisericordiam erga pauperes, annon est justa Dei ultio, si calamitas aliqua obvenit, si subsequitur prodigus aliquis, qui injustè acquisita injusto modo dilapidat? Notate paululum exemplum Davidis dilecti Deo: is commisit adulterium cum Bathsheba, attulitque necem marito gladio Ammonitarum, quo maximè peccavit, iram Dei summopere concitavit, Nathan id multis indicante, 2. Sam. 12: 10, 11. Hinc est illa pœna, quam Deus comminatus est, eaque justa respectu Dei decernentis, respectu Nathanis denunciantis, & respectu Davidis promerentis. Exinde in familia Davidis ignis accensus est, & multa *ἀνανία* obvennerunt; Amnon filius Davidis incestum fecit cum sorore: Absolom, alter filius Davidis, ulciscitur incestum fratricidio; postmodum fit rebellis contra Patrem, conscribit milites, & patrem expellit, post coram oculis totius Israël concubinas patris incestuosè viciat. En! multa prodigiosa & diabolica flagitia, incestus, latrocinia, rebelliones, proditiones & enormitates aliæ, 2. Sam. 12: 12. Sunt inventiones Satanæ; at si considerantur ut pœnæ à Deo Davidi immissæ ob ejus peccata, sunt justa & bene ordinata Dei iudicia Judicis semper æqui, in quo nulla injustitia invenitur, &c. Et hæc sunt Responſiones ad objectiones: sequuntur Applicationes Δ. eæque principales, 1. ad Reprehensionem, 2. Consolationem & 3. ad Admonitionem, &c.

SERMO CXXIV.

Textus, Philem. v. 15.

Τὰχα γὰρ διὰ τὸ τοῦ ἑχοῦσιν πρὸς ἄ-
εαν, ἵνα ἀκόσμιον αὐτὸν ἀπέχης.

Utique enim propterea separatus
fuit abs te ad tempus, ut perpetuum
eum reciperes.

I. Hoc cum ita sit, ut docuimus, cum omnia quæque, magna & parva, bona & mala sub Dei providentiam cadant, tum ergo refutandi & culpandi veniunt multi, qui hanc doctrinam vel non intelligere, vel eâ turpiter abuti, eique se opponere solent. Sunt autem tria præcipuè genera hominum,

Uti s. i.
Errores c. i.
ca provi-
dentiam
Dei.

1. *Athei*; Non multa dicemus de Atheis veteribus, Epicureis, Libertinis & monstris ejusmodi, qui priscis vixere temporibus; sed de hodiernis, qui etiam nec Deum, nec divinam ex animo agnoscunt providentiam; sed utrunque abnegant, vel certè aliena de Deo sentiunt, quasi otiosus esset in cælo, ut ipsi sunt in terris, nec ea, quæ in terris fiunt, ullo modo curaret, ut Job. 2: 2: 12. tales describuntur. Hi omnes quantum in ipsis est Deum privant suo dominatu & regimine, & cæcam fortunam Deum suum eligunt, quos ridens Juvenalis sic canit:

1. Atheo-
rum,

Nullum numen adest, si sit Prudentia:
sed te

Nos facimus, Fortuna, deam, cæloque lo-
camus.

Sic nos statuere debemus, ut edocti sumus, quod Deus, qui cælum & terram creavit, etiam regat & gubernet omnia, maxima, minima, bona, mala, in creaturis, est enim (ut Petrus eum appellat, 1. Pet. 4: 19.) *fidelis conditor*, non deferens Creaturas, quas creavit, ut alii opifices opus à se constructum deserunt, sed omnia sustentat, Hebr. 1: 3. non solum ea, quæ in oculis mundi sunt præclara, sed etiam vilissima & minima, quæ solent neglectui esse hominibus; totus mundus à supremo cælo ad centrum usque terræ est subjectus providentiæ Dei, *omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ*, Eph. 1: 11. Dat vitam, Act. 17: 28. *In ipso vivimus*, &c. Nil evenit sine ejus providentiâ, ab eo reguntur creaturæ animatæ & inanimatæ, rationales & irracionales, seu magnæ sint seu parvæ, seu bonæ seu malæ, Angeli, homines, bestiæ, res necessariae & contingentes, &c. Omnia hæc reguntur ab ipso.

Ita ut inter nos Christianos locum non debeat habere Ethnicorum Fortuna, ut, quæ fiunt, ei adscribere velimus, dicendo: Huic favet fortuna; non fortuna, sed Dei providentiâ agnoscenda in omnibus, etiam iis quæ fortuito acciderent videntur. *August. Init. Retract. lib. 1. cap. 1. scripit super suos lib. 9. Acad. In iis libris*

Fortunæ
nomen im-
probatur.

non mihi placet toties me appellasse fortunam: Basil. quoque reprehendit in Explic. Psal. 32. Cave dicas, *Temerè.* Verè dictum, Dei enim respectu nihil est fortuitum, cum omnia fiant certo Dei consilio, etsi nostri respectu fortuita dici queant, Prov. 16:33. Quid tam in casu positum videtur, quàm fors, attamen & hæc regitur Dei providentiâ. Quid æquè contingens ac passeruli lapsus in terram? at hunc regit divina providentiâ, Matth. 10: 29, 30. Sic 6:26.

2. *Profani*, qui hæc doctrinâ ad carnis securitatem & peccandi occasionem abutuntur, dicendo, licet hoc & illud perpetremus, Deus omnia in bonum dirigere potest. Nota, quid dicat Apostolus ita præsumtuosè peccantibus, Rom. 3:8. Deus quidem potest providentiâ suâ mala gubernare, ut electis suis in bonum vergant, sed nusquam iussit, ut propterea mala agamus, Rom. 6:1, 2. *Iustinus Martyr* in Apolog. 2. pro Chr. p. 57. testatur, Christianos ex hoc fundamento noluisse dicere mendacium. etsi eo potuissent conservare vitam. *August.* acrior est, nolens admittere mendacium ad conservandam animam, cum sit medium illegitimum; Job adhuc exactior cap. 13:7, 9. Solus Deus potest facere ut è tenebris lux splendeat; peccatum ita potest regere, ut hominibus cedat in bonum; homines id non possunt; idèò temerariè in alius opus ne peccent. An quia Medici venenum ita attemperare possunt, ut fiat antidotum, idèò perulenter venenum deglutire velles? Deus morbum corporis ita potest attemperare, ut cedat in sanationem animæ, an ideo studio morbum inferes corpori? Deus peccata regere potest ad bonum, an eapropter te in peccata præcipitem daret? Absit! *Hæc scribo ne peccetis*, 1. Joh. 2:1. Crucifixio Christi salus mundi; an ideo Christum de novo crucifigeres? absit! Onesimi fugam Deus direxit in bonum, an propterea fieres fugitivus? Josephi carcer fuit ejus exaltatio, an ideo te præcipitares in carcerem? Estheræ exilium occasio fuit promotionis ad regnum, an inde patriam ex consilio desereres exul? Augustini aberratio à via, causa fuit, ut vitæ periculum effugerit, ut suprâ notavimus, an ergo studio quæreres devia? Peccati stipendium mors, & quidem æterna, Rom. 6: ult. quòd verò hanc homines effugiant, gratia est & misericordia Dei: et in hanc gratiam nemo peccare debet.

Et licet Deus ex providentiâ sua utatur instrumentis (sive hominibus, sive Angelis malis,) quæ contra naturam & inclinationem suam hominibus in bonum servire coguntur, tamen hæ creaturæ, quæ interim ad malum finem collinant, non excusantur, & pœna earum non dormit. David agnovit, Simei à Deo missum esse ut ipsi malediceret, fugienti à facie Absolomis; nihilominus in ultima sua oratione ad Solomonem non defendit factum Simei, nec excusat, sed puniri iussit 2. Sam. 16: 10. 1. Reg. 2:

8, 9. At si hæc instrumenta non vacant culpâ coram hominibus, nec impunè dimittuntur, quòd minùs coram Deo ejusque justo tribunali? Siquidem in actionibus suis non respiciunt Deum, ejusve consilium, sed malitiam suam explere quærunt, Ef. 10. quòd verò sæpe bene cadat, id à Dei providentiâ est.

3. *Pontificii, Lutherani, & alii*, qui inter alias calumnias, quibus nos gravant & profcindunt, etiam hanc habent, quòd dicunt, nos doctrinâ nostrâ de providentiâ Deum facere authorem peccati. Calumnia vetus, olim Augustino à Pelagianis etiam objecta, *August.* l. 5. contra Jul. & c. 3. de gratia & l. Arbit. c. 20. Calumnia jejuna! Publicè prædicamus contrarium, & scripto ac ore id contendimus in Ecclesiis & Scholis nostris, Satanam esse causam peccati, & hominis pervertam naturam; hoc docemus, & addimus, quòd si Angelus è cœlo aliter doceat, anathema sit, Gal. 1:8. De Deo docemus, eum esse summum bonum, omnis boni originem & authorem, Deut. 32:4. malum odisse, Psal. 5:4-6. esse purum, Hab. 1:13. Deut. 18:12. Cum Zephania docemus, eum esse justum, Zeph. 3:5. cum Zacharia, Dominum odio habere omne malum, Zach. 8:17. 1. Joh. 1:5. Jer. 2:3-6. odisse injustitiam; authorem boni esse, neutiquam mali; & contrariam sententiam blasphemiam nominamus. Audi Jacobum cap. 1:13, 14. *Nemo si tentatur, dicat se à Deo tentari, &c.* Et sic nobiscum docuerunt omnes pii Ecclesiæ doctores. Calvin. Just. lib. 1. cap. 18. & alii, quando hanc de providentiâ doctrinam tractant; & imprimis, quomodo Deus per providentiâ regat etiam peccata, sic de hoc scribunt, & nos cum ipsis docemus.

a. Concedunt, Deum esse conservatorem omnium creaturarum suarum, & speciatim hominum, Act. 17:28. & hominem sine ejus auxilio & ope sese nec movere, nec versare posse, adeò ut à Deo sit, sit homo loqui, ire, stare, &c. possit. Sic nos docemus, & in ipsis Pontificiorum scriptis sic invenimus, qui tamen nos hoc loco calumniantur; ipsi agnoscunt Deum conservatorem creaturæ errantis, sine hac enim conservatione nec esse, nec vivere possit; quòd verò peccet, id non à Deo esse, sed à Sarana.

b. Docemus, Deum esse liberum, nemini obstrictum, qui facere possit quicquid vult, & permittere quicquid lubet, & impedire quod lubet, prout expressè Gen. 20:7. & 31:7. Act. 14:6. 1. Cor. 1:13. Si ergo Deus hominem ita finit ambulare, & sibi tradit pro sua justitiâ, tum hostes hominis adsunt, judicium occæcant, cor indurant, ut se homo tradat peccato: Deo peccatum non placet, sed ipsum vetat; sed homini placet ex instinctu Diaboli, & si non impeditur, peccatum committit, & sic ipsi apud Pontificios docent Scholastici.

c. Docemus, Deum ordinatorem esse peccatorum commissorum, qui homines, cum peccant, limitibus cingit, ne ultrâ procedant quàm

ipse permittit, quique eadem peccata ad eum finem dirigit, de quo peccantes non cogitarunt; ut supra diversis exemplis demonstratum, Jobi, Josephi, aliorum. Imò sæpe ita regit, ut peccata peccatis puniat; & hanc thesin reperimus apud ipsos Pontificios, *Bellarmin.*, T. IV. Controv. de amiss. gr. lib. 2. cap. 13. Ut vel hinc pateat, quàm indignè nobiscum agant. Confer. Es. 30: 21, Rom. 2: 15. Deut. 27: 26. Primus peccati introitus in mundum ex libero hominis venit arbitrio, qui se depravari permisit à Satana, quod Deus prohibuit; actio hominis à Deo, pravitas actioni adhærens est ab homine. Equo insidens eum agit; quod equus procedit, est ab actione fessoris, at claudicationis causa non est, venit ab equo: sic hoc loco, &c. Si quis secat cultro obtuso & serrato, secationis ipse causa est, sed non dentatæ sectionis, hoc cultro adscribendum. Si quis instrumento musico canit, sonus est à musico instrumento; si verò malè sonat, est ab instrumento, &c. Sic actiones sunt à Deo, sed à *ἀνομία* adhærens est à Satana & hominis natura, &c.

SERMO CXXV.

Textus idem, Philem. v. 15.

Τὰχα γὰρ διὰ τὸ τοῦ ἐχθροῦ πρὸς ἡμᾶς, ἵνα ἀνώγειν ἂν τὸν ἀπέχη;

Utique enim propterea separatus fuit abs te ad tempus, ut perpetuum eum reciperes.

II. Hæc etiam doctrina multifariam facit ad consolationem; Si enim Dei providentia omnia gubernat, ut nihil citra eam nobis obtingat, nec magnum nec parvum, nec bonum nec malum: Ne ergo,

1. Cùm videmus Satanam & ejus instrumenta Ecclesiam Dei affligere & persequi, contra eandem insurgere & furere, ac consilia miscere, despondeamus animum; audivistis enim, quàm mirè Deus consiliis eorum intercedat & proposita irrita faciat suâ providentiâ, eoque, ut non modò non nocere, sed quod contra Deum & electorum salutem intenderunt, ad Dei gloriam & bonum electorum infervire debeat; si quàm callidissimè rem aggrediuntur, Deus aliam viam inicit, in manibus ejus est. Sol quotidie in suo pergat cursu, at Deus ipsum cùm vult fleat, cùm vult sistit. In navi sæpe proram huc dirigimus, gubernator in puppi horum collimat, at ventus omnia aliorum fleat, &c. Sic comparatum est in multis aliis, licet homines aliquid moliantur contra Christi Ecclesiam, tamen cùm in eo sunt, ut executioni dent, Deus vela vertit, & ad salutem suorum dirigit. Onesimus aufugit ex Ecclesia domestica Philemonis, sicque salutis media adhi-

bere noluit, sed en fuga ejus ad salutis promotionem confit. Sic de hoc loquitur Hieron. *Si Onesimus non aufugisset à magistro, non venisset Romam ad Paulum in carcerem; nisi venisset Romam ad Paulum, non receperisset fidem in Christum, non factus fuisset Filius Pauli, &c.* Hieron. Ep. 62. Josephi fratres eo ipso, quod eum vendiderunt in Ægyptum, putarunt cautum, ne somnia ejus evenirent, arbitrabantur se probè rem constituisse, ne ipsis superior evaderet, Gen. 37: 19, 20. Et tamen ipsorum venditio erat ipsissimum medium executionis somnii ipsius. Sic Deus rexit. Satan, qui allaboravit ut Christus occideretur, putavit se hoc ipso lethale vulnus inflixisse Ecclesiæ Dei, & ecce mors Christi erat medium ipsum, quo salus Ecclesiæ obrigit, quo vulnera mortifera Ecclesiæ sanata. Sic Paulus Act. 8. erat in summo persecutionis fervore contra Ecclesiam, sed en hoc modo vocatur in multam Ecclesiæ ædificationem & salutem. Haman suis machinationibus conabatur subvertere Mardochæum & Judæos, at erat medium, sic regente providentia divina, ad Judæorum exaltationem, Esth. 9: 1.

Itaque nemo animum abjiciat, etiam si videmus Ahitopheles & Machiavellos conspirantes, conjungentes caput & caudam contra Evangelium: Deus enim manum suam extendit, omnia consilio suo præpedit, & ut ipse vult, dirigit, ipse enim Dominus est in omnes creaturas; imò ipse Satanus nolens volens ipsi se submittere cogitur. Hinc etiam omnes viri Dei in quavis conditione spem suam in Deo posuerunt, ad ipsum confugerunt, quotquot hostes eos circumdederunt, quia notum habuerunt, Deum suo consilio istorum machinationes confundere & in nihilum redigere posse, licet ab hostibus ad eorum interitum intendantur. Job dicit: *Ei si Deus me occidere velit, tamen in eum sperabo*, Job. 13: 15. *Deus stat ad dextram non demovebor*, inquit David Psal. 16: 8: 23. 4. & 44: 19. Et cùm ipsum servi sui lapidatum voluissent, 1. Sam. 30: 5. Sic Esth. 4: 13, 14. Ecclesia quidem ad summas redacta fuit angustias & perplexitates diebus Mardochæi, interim tamen non desperarunt, addidicerant enim hanc de providentia doctrinam, eapropter hac freti Estheram adeunt, &c. Et quid evenit? Esth. 9: 1. Eo tempore, quo hostes statuerunt eos occidere, occisi sunt ipsi, &c.

2. Erigamus nos etiam hæc doctrinâ in omnibus afflictionibus & adversâ fortuna, cogitando nihil fortuito accidere, sed omnia ex Dei providentia & consilio paterno: eâ re simus patientes, nec obmurmuremus, Psal. 39: 9. nec ulciscamur instrumenta, quibus Deus ad nostri castigationem utitur, prout alioqui hujus providentiæ oblivisci & lapidem admordere solemus. Cùm affligimur & dura patimur, iniquum putamus, quod impiis omnia prosperè interea cedant: hinc putamus, vim vi repellendam, media quævis adhibenda, nec tempus à Deo constitutum

Urus II.
Providentia Dei sup-
peditat con-
solationem.

1. In Eccle-
siaz persecu-
tionibus.

Similia,

2. In priva-
tis calami-
tatibus, ac
docet pa-
tientiam.